

nem qui eam habet, sed eos quoque qui eum intuentur, illuminat. Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, &c. Quomodo verò iis lucebit qui eam non vident? quomodo eam videant, cum se in interni cultus latebras ita abdiderit, ut ad eam oculorum sagacissimi inquisitoris acies non penetret? Non possunt homines fructum ædificationis ex eo capere quod non vident: Non possunt Deo gratias agere aut gloriam tribuere eorum nomine quæ non intuentur, imò plane ignorant. Ideo Christus Dominus noster ab omnibus suis exigit ne abscondant, neve ponant lucernam suam subter modium, sed dent operam ut luceat omnibus iis qui Deum eo nomine laudibus celebraturi sunt. Non in solis cogitationibus, non in intentionibus, & propositis hominum fructus fidei quos Deo offerimus consistunt. Vera & solida, nec tantum Deo, sed & hominibus manifesta opera & virtutes, vera & viva fides progenerat. Præterea meritò innuit Auctor non quemlibet internum cultum esse verum. Nam qui externum ejusdem generis sibi annexum non habet, multoque magis qui externum alienum, quamvis interno adversetur, propter politicas causas admittere sustinet, verus esse non potest. Apparet certe, hunc hominem falsò, nec ex toto corde, neque ex totis viribus Deum diligere, qui licet in occulto sciat quomodo  
 Dei